

D. D.
DISQUISITIONIS,
DE
MEDIIS
RESTAURANDÆ
BARBARIÆ,
CONTINUATIONEM,

Venia Ampliff. Facult. Philosoph. in Reg. Aca-
demia Aboënsi,

Publico Examinì submitunt

SIGFRIDUS PORTHAN

ET

DAVID SEVONIUS,

NYLANDUS,

Die XXII. Julii, Anni MDCCLX.

L. H. Q. A. M. S.

ABOË, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.

VIRO *Plurimum Reverendo atque Praclarissimo,*

**D. NO JOACHIMO
VON GLAN,**

PASTORI atque PRÆPOSITO Ecclesiarum, quæ
DEO in Tenala & Bromarf colliguntur longe me-
ritissimo, ut Nutritio indulgentissimo, ita Pa-
trono, quavis animi veneratione suspi-
ciendo, colendo.

*O*ritur tandem dies diu desideratus, quo singularem
animi mei venerationem publice declarare ansa
mibi præbetur. Maxima enim in me Tua, Patrone
Optime, extitere favoris documenta, quæ recensere
prolixum, convenienter deprædicare prolixius foret.
Horum non minimum est, quod Tuos optime indolis
Filios, meæ manuductioni demandare voluisti. Præter
varia efficacissima ad eruditionem & virtutem inci-
tamenta, aditum mihi ad Bibliothecam, qua gau-
des, vastissimam, selectissimam, benigne aperuisti: ne
autem quid detrimenti domi caperent studia, veniam
Musas has Auraticas invisendi lubens concedisti. Tuo
svasu

svastu has quoque vices responsorias mihi suscipere ob-
tigit. Verbo dictum: a Parente vix majora expecta-
re potuissem. Reliqua Tua in me beneficia, submissa
veneratione praterire liceat, quæ omnia obligationem
erga Te meam efficiunt intensissimam. Cum autem
nihil habeam, quod rependam, opus hocce Academi-
cum, alieno quamvis Marte elaboratum, mea tamen
qualicunque opera, Speciminis Academici loco defen-
dendum, Tibi sacratum esse volui. Favens igitur illud
suscipias Vir Plurimum Reverende, humillimus oro
atque obtestor, non ut remunerationis subeat vicem,
sed ut pignus sit nunquam intermoritura venerationis.
Quod reliquum est, ne desinas Vir Plurimum Reve-
rende, queso, mihi semper favere, Tuoque in me et-
iam impostero indulgere adfectui. Ego Summum
Numen, ardentissimis nunquam desistam defatigare
precibus, velit Te plures per annos sospitem & in-
columem servare! Oriatur sero perquam dies, quo
Ecclesia Te careat commodo, familia Nobilissima fut-
cro, Posteris Parente, ego denique Evergeta atque
Fautore maximo! Sic vovet & ad cineres usque vo-
vebit Tuus

PLURIMUM REVERENDE atque PRÆCLA-
RISSIME VIR

Client humillimus,
DAVID SEVONIUS.

Admodum Reverendo atque Praeclarissimo VIRO,

D: NO ELIAE ROOS,

PASTORI Kiskoënsium Vigilantissimo, Fautori,
quo par est, devoto animo suspiciendo.

Menor beneficiorum Tuorum cum Paterna
domui, tum mihi praestitorum, anxia mens
diu jamdum secum aeliberavit, si quando occasio
ea depraedican di daretur satis apta. Nunc vero
haec equidem data, me nihilominus negotio mini-
me sufficere sentio. Tacita itaque atque pia ea
prater eo animi veneratione, cujus cum interpre-
tem agere nequeam, signum saltem hanc Tibi,
Vir Admodum Reverende, dissertationem do,
dico, dedico. Accipias illam eodem quo me
semper excepisti adfectu, & favoris Tui adhuc
imposterum ut haecenus participem me facias.
Ut vero in commodum Ecclesiae Tuorumque sola-
tium diu sospes felixque vivas, assiduis precaber
suspiciis,

NOMINIS TUI

DAVID SEVONIUS

Cultor humillimus,
DAVID SEVONIUS.

Kongl. Maj:ts
Tro-Tjenare och LIEUTENANT
Wid Dets Nyländske Dragoner,
Wälborne

Herr **ANDERS PALM,**

Min Gunstige Gynnare.

A Tankan af de mångfaldiga wälgjörningar, som I, Wälborne Herr Lieutenant, af en priswård och måkalös godhet mig bewist, gör mig ofta bekymmersam. Det är wäl omöjeligt at med få rader upräkna dem, men det wore ock et prof af ringa påsatt wärde, om jag dem aldeles förtege. Tillåten fördenksfull mig, at wid närvarande tilfälle offentlig bekänna, det de, under tu åhys tid, då Eder Wälartade Söns handledning mig warit anförtrodd, stigit til en större högd, än at de med ord, ehuru betydande de de ock wore, kunna afskiltras. Såsom det står hos Försynen allena, om jag dem någonsin kan aftjena, har jag allenast i tust wördnad wäntat efter tilfälle, at å daga låga wedermåle af min tacksamhet. Et wördnadsfullt hjerta, tillika med detta Academiska Arbete, som af mig skal offentlig förswaras, äro fördenksfull de gåfwor, som jag Eder, Wälborne Herr Lieutenant, har åhran at upoffra. Anseen dem gunstigt, och tillåten mig äfwen hadanefter wara innesluten uti Eder ömma åtanka. Det skal, så länge jag lefwer, blifwa min gladaste plikt, at bedja för Wälborne Herr Lieutenanten och Dets Förnåma Omwårdnad, om allskions Andelig och Lefamlig Wälsignelse! Under hwilken önskan jag med oafslätelig Högaktning framhårdar

Wälborne Herr LIEUTENANTENS

Ödmjukt Tjenare,
DAVID SEVONIUS.

VIRO Perquam Reverendo atque Doctissimo,
D. NO ERICO SEVONIO,
Sacellano Kiskoënsium vigilantissimo,
PARENTI OPTIMO.

A Morem vere Paternum, quo me semper
amplexus es, dum perpendo, non possum non
anxius herere, qua ratione pium gratissimumque
animum Tibi, Parens Optime, significem.
Beneficia Tua, verbis si celebrare conarer, in
vanum profecto laborarem; majora namque sunt,
quam ut enumerari, minus prædicari a me queant,
atque probe perspicio remunerationem nullam tan-
tam inveniri, quæ debito meo par esse poterit. Ni-
hilo secius, cum nec piæ gratitudinis aptius indicium
habeam, munus hocce chartaceum Tibi Parens
Optime sacrare non dubito. De cætero, DEUM
T. O. M. perpetuis sollicitabo suspiriis, velit Te,
Parens Optime, in nostrum, quotquot Tui
sumus, gaudium atque solatium quam diutissime
incolumem servare! Sic ex imo voret pectore

PARENTIS OPTIMI

ad tumulum usque obe-
dientissimus Filius,

DAVID SEVONIUS.

■. Sectariam Philosophandi methodum antiquissimorum, sentiendi libertatem sustulisse, vulgo putant, quæ cum nostro ævo e Republica Litteraria proscripta sit, multum nobis præ iis exinde prærogativæ arrogant. Dispiciendum vero est, utrum ne utamur, vel uti posthac incipiamus, ejus loco majori licentia, tanta aliquando, ut ultimum quid statuamus, ipsi nesciamus; quolibet vel paullulum erudito proprium sibi, sæpe citra necessitatem, nec alia re a prioribus quam nova forma terminisque distans, systema formante, quod innumeras nullius usus Logomachias parit, novamque discentibus difficultatem creat; immo judicis sibi partes inter viros eruditissimos sumendi occasionem vix adhuc initiat, quibusque multa addiscenda essent, priusquam de talibus rebus judicium ferre queant, subministrat. In Germanorum Academiis usitata quæ vocant Compendia in usum Prælectionum, huc subinde referuntur. Ceterum & multi credunt, externo illo apparatu abolito, nihil tamen minus, vel impræsentiarum, auctoritatis præjudiciis ac sectarum studio indulgeri. Neque vero impedisse adeo multum, ac communiter opinantur, sentiendi libertatem veterum, Sectas, exinde apparet, quod discendi tempore præterlapso, vel aliam sectam meliorem sibi visam pro lubitu eligere, vel si ingenio callerent, ipsi novam Scholam erigere potuerint Philosophi, sicut unanimes scriptorum consensus est. Denique insignis prærogativa in eo veterum observatur, quod Philosophia, saltim initio, non

famis sed famæ ergo, aut earum quas continet deliciarum amore allectis hominibus, cultores nata sit, quam nunc vitæ tantum sustentandæ causa plurima pars profitetur. Quanta autem differentia hinc utriusque temporis oriatur, multis explicare supervacaneum ducimus.

APHOR. XXI.

AD formanda præcocia ingenia, & superficialiam methodum introducendam multæ concurrere causæ possunt. Effectus vero inde resultans sæpe est, quod immature docendi aliaque munera in se suscipiant, quibus ipsis discere adhuc opus esset, hocque interdum vana ambitione, frequenter necessitate coacti; quum nimirum alias ad canam senectutem, priusquam de quo vivere queant consequantur, expectandum foret, in illo qui ubique in Europæ civitatibus regnisque est, immodico publica officia ambientium numero. Quoad genus studiorum, etiam quibus solidior cognitio in pretio est, gustui seculi nolentes volentes se conformare cogentur. Dicitæ autem eruditioni superficialiæ egregie inservire ita vocata Lexica Realia, Novellas Litterarias, Acta Eruditorum &c. quæ ideo magiæ eruditæ interdum appellatione notantur, & post inventam Artem Typographicam obrui libris Rempublicam Litterariam, multis bene monitum est. Repetimus hic Aphorismis VI. & XX. de abusu indole allata, quæ cum toties a magnis viris inculcata sint, mirum omnino est, nihil

nihil pene, tam in eruditorum controversiis, quam in Juridicis Politicisque institutis, magis negligere homines. Et hinc jam istæ lacrymæ. Reformandi & innovandi pruritus, systemata & hypothefes interdum plus quam pueriles, Legulejorum ac Pseudopoliticorum in sapientissime constitutas regnorum & rerumpublicarum leges quærelæ, contemptus edictorum ac mandatorum imperantium, (quæ ex sua fabrica perfectiora proficisci potuisse, quo quis stultior ac hebetioris ingenii est, eo etiam firmiter sibi persuasum habet) denique remedia morborum ipsis morbis pestilentiora, ubi leges, processuum formulas, civitatum instituta, ita multis limitationibus, præjudicatis, distinctionibus, interpretationibus, additamentis, ordonantiis, & quæ sunt alia, auctas volunt, quasi Labyrinthum quendam construere propositum esset. Certe experientia testatur, in ipsis his distinctionibus plus præsidii prave sollertibus & captiosis esse, quam omnibus aliis corruptelis. Atque dubium est, utrum plus sint homines avidi subtilitatum, & in iis excogitandis perspicaces, an vero magis negligentes & hebetes, cum ad ipsam applicationem ac praxin deventum fuerit. Non igitur esse aliquid magis ineptum putamus, quam illum cogitandi modum quorundam: hoc vel illud institutum tali obnoxium est abusui; ergo reformandum, & tantis limitationibus novisque additamentis munendum, ut imposterum a malevolorum exceptionibus liberum evadat, nullasque sinistras interpretationes

admittat. Unde & e contra sapientes Principes omnem operam in id navare videmus, ut boni & cordati viri muneribus præfiantur. Bene memores enim sunt, hoc plus utilitatis præstare, si vetera edicta rite observentur, quam si millies centeno novarum ordinantiarum numero moles & volumina legum augeantur, cujus rei omnis usus in eo est, quod difficilior ac prolixior agendi methodus compendiosiori substituatur. Ex Legibus proinde omnium facillime judicium ferri potest, de morum majori minorique in civitate aliqua corruptione. Hæ enim ubi breves simplicesque sunt, vitia etiam pauca adesse indigitant. E contra prolixa & subtiles immorigerum populum corruptorumque hominum multitudinem supponunt, cujus ergo ejusmodi cautelis opus sit; cum alias frustra caveretur adversus mala, a quibus periculum aliquid imminere, probabilitate careret. Eidem utilitati inserviunt Contractuum & Pacis inter Principes ac Nationes Instrumenta, quæ antiquitus paucis verbis comprehensa, majorem circa pacta servanda integritatem indigitabant; Recentoris ævi illa autem sine horrore legere non possumus, ubi ex innumeris illis restrictionibus & cautelis adversus infinitum pene doli mali atque falsarum interpretationum genus, quam ulla alia re evidentius informamur, ista omnia revera igitur existere & inter Principes in usum recepta esse. Certe eo ventum est, ut perfidiam, quam circa privata equidem negotia illicitam esse concedunt, in Principibus

cipibus tamen & Principum Ministris summopere laudandam multi existiment. Docent vero quæ hac digressionem monita sunt, quod quamdiu prava manet hominum voluntas, leges semper araneorum telis similes futuræ sint, & præstet sæpissime iniquas & misere confutas habere, quæ prompta executione vim obligandi suam tueantur, quam optimas quasve hac anima destitutas. Nec solum ad judicandum de Eruditorum Republica, quæ ex ejus occasione de Politicis institutis notavimus intervniunt, sed & infra de moribus dicendis lucem affudent.

APHOR. XXII.

Invincibilia contra Barbariem munimenta jactant Academias Scientiarum, alias Universitates, Gymnasia, Scholas, Laboratoria, Observatoria, Gazophylacia rarioribus naturæ vel artis monumentis servandis, Bibliothecas, & plurima ejusmodi instituta publico nomine facta & conservanda, quæ nova indies experiuntur Principum ac regnantium favoris documenta. Atque fatemur equidem, magna hæc esse obstacula, sed speramus tamen non illa magis a communi rerum humanarum forte fore eximenda, quam alia quævis subsolaria; sicut modo innuimus nihil esse posse, nec excogitari aliquid tam perfectum, quod hominum curæ commissa executione, abusibus variis obnoxium non sit. Tempus ipsum, quod in iis esse credimus, quæ ad stabilienda instituta con-

ducere debent, inter inimicos eorundem vel maxime referri meretur, & nova semper prave solertium commenta ac eludendi artes detegunt anni; prout vulgo cum optimis etiam legibus fieri dudum notarunt Politici; Nimirum quod initio ut plurimum magnas res producant, sed quo longius hinc in secula provehantur, eo minus intento fini sufficere solere. Inprimis si in reliquis quæ supponimus rebus, firma fundamenta jacere Barbaricæ liceret, quin & in dictas obices exinde multum redundet corruptionis, haud absolum ducimus. Academia, Gymnasia, Scholæ, ceteris vetustiora inventa, magis etiam jamdum abusibus laborant, quos satis notos heic explicare inutile putamus, atque intelliguntur ex iis quæ in genere de Eruditorum Civitate allata sunt. Bibliothecæ, licet rariores & non cuivis adeundæ, tamen extitere olim quoque, & Barbariem potiri arbitrio rerum passæ sunt. Certe in se nihil faciunt, sed dependet earum utilitas vel damnum ex modo utendi, qui si sinistre acceptus aliquando inter Litteratos inveteraverit, æque ad promovendas quam dispellendas tenebras immensi illi librorum acervi conducent. Cum facilitandis studiis medium sint, ad præcocia illa ingenia & superficiariam methodum, de quibus modo egimus, quotam partem suam etiam contribuere possunt, dum felici memoria & in aliorum effatis recensendis solam consistere plurimorum hodieque eruditionem videmus, imo satis superque sufficere hoc ipsum quoque

quoque communiter ad tuendum viri eruditi no-
 men. In tanto scriptorum numero sæpe ita ob-
 ruitur mens difficultate circa electionem optimo-
 rum, ut desperantes de successu, potius totum neg-
 otium rejiciamus, vel etiam nauseam abundantia
 moveat, sicut est hominum mos. Taceamus quod
 ut jam haud raro scribuntur libri, quos gratos es-
 se volunt auctores, plus ad vitia incitent, quam
 boni & utilis aliquid contineant, & qui ingenio-
 sis vanitatibus vel illicitis voluptatibus delectantur,
 actu eas gustare lassæ, animum tamen abunde ma-
 lorum alimentis pascere, in medio musarum delu-
 bro queant. Recentiorum imprimis librorum is
 character est; quorum lectio cum non modo ante-
 feratur veteribus, sed & perraro hi legantur ubi
 eligendi libertas datur, vel hinc pro nostra opi-
 nione argumentum desumitur. Neque ita sollici-
 te ac oporteret, bonos a perniciosis libros, Biblio-
 thecarum collectores semper distinguunt. Sed &
 qui errores refutare cupiunt, adversariorum scri-
 pta ad manus esse volunt, quæ neglectis quas sa-
 niores adjecere notis, cupidissime ut plurimum le-
 guntur. De Laboratoriis, Observatoriis & Gazo-
 phylaciis idem valeat quod de Bibliothecis, videli-
 cet institutorum præstantissimorum utilitatem de-
 pendere a hominum urentium sedulitate, negligenti-
 a, integritate aut corruptione, circa quavis ei,
 qui genuinus est, fini applicanda, ubi solido usui
 præ curiositate & rixis ac hypothesebus inanibus
 debitas tribuitur honos. Scientiarum Academias
 Euro-

Europæas, quo antiquiores deveniunt, eo magis ab institutionis pristinæ rigore deflectere posse, haud facile negabitur. Fieret id, si honor membris illustrium societatum annumeratum esse, (quem idiotis vel superficialiis non æque gratum ac vere eruditis fore, quis caveat?) admodum mediocria saltem, si non obtusa ingenia ad captandos hos titulos, favore partium vices meritum gerente, invitaret, & unius exemplo alterum excitante idiotarum numerus ultimo eruditorum illum superare inciperet. Loco novorum inventorum, quibus olim Acta Academiæ constiterant, tum enascerentur suppositiones & systemata, experimentis falsis & parum accurate factis suffulsa, resque dudum jam detectæ, sed postea ingeniose denuo excoctæ & expolitæ; nec non accessionibus, observationibus, incredibilia pollicitis calculis aliisque ejusdem farinae cæteris auctæ. Cujusmodi omnia ad contemptum, quem membra tantum mererentur, ipsis institutis ac scientiis contrahendum idonea, fructu & fine impensarum atque benevolentiae exhibitæ imperantes & civitates privarent, Barbariei vero januam nunquam profecto clauderent.

APHOR. XXIII.

MOres alteram Barbariei partem supra constituimus, qui inprimis id malum sunt, quod maximum hæc continet. Nec certe putamus damnum

mnium ex amissis Litteris Artibusque redundans ullo modo cum illo comparandum esse, quod integritas morum sublata produceret. Sicut enim finis omnis cognitionis ad vitam hominum honestam ac commodam reddendam tendere debet, ita quidquid disciplinarum ratio unquam tractavit, ab hoc scopo deflectens, vel huc aliquid pro rata parte non afferens, noxium, vanum, inutile & nihili reputandum; idque vel in se est, vel saltem effectu a perverso utendi modo origines trahente tale evadit. Jam sine amisso, mediis studere operamque navare cui bono fodes? Sed & sine frustrari mortales, ubi morum puritas exulavit, extra dubium omnis ævi acta collocant; sint etiam ad summum, qui possibilis, gradum fastigii, scientiæ perductæ. Vis, oppressiones, fraudes, doli, rapinæ, cædes, dissimulatio, discordia, rixæ, fides nulla, nulla in verbis nec major in contractibus securitas, verbo: sublato Supremi Judicis, qui DEUS est, metu, sublatum omne jus & fas, ac licitum nulloque modo ignominiosum quidquid in foro civili inflictæ pœna turpe non proclamaverat: Totus inquam pulcherrimus hic apparatus ipso actu Barbariem absolvit, & Civiliū pariter ac Naturalium Legum pretium nullum efficit. Sive palam sive occultius, & sub larva magnifici tituli latens adsit, non multum interest, modo insigni & facile distinguendo a communi corruptionis humanæ indole gradu cuius vel paullulum meditati conspiciendum se præbeat. Potest equi-

dem aliquamdiu cum Litterarum & Artium cultura consistere, sed sensim eas tamen fœdissime corrumpit, & ad ultimum expellit ac destruit; Evertit, eradicat, extingvit, nisi mutari qui tum est rerum cursus ac ordo incipiat, superne motis remotioribus & primis causis, quæ propiores & secundas inferioris compagis actui dent. Si revera malum hoc adventare credendum est, omnino sicut de Romanorum Imperio Aph. VII. differuimus, paucis mutatis mutandis, id fieri debere opinamur. Finge corruptissimam juventutis educationem, ab ipsis incunabilis pestiferæ licentiæ relicta. Tantum distare puta, ut virtutis principiis imbuatur, quin potius ob mala, flagitiosa & turpia, inprimis si acuti quid insit, summopere laudetur. In Divinas res & omne decorum ac honestum impudenter invehi edoctam imaginare; mollitiei a teneris asvetam, postea omnem laborem aspernantem, frenum mordentem & in turpissimas voluptates immersam, iisque florem adolescentiæ consecrantem, inestimabile tempus discendi annos dicantem. Capitales maxime urbes atque frequentia hominum celebres cogitatione adi, & qualem hoc semen messem polliceatur reputa, qualia civitatum administrationi, qualia inferioribus muneribus *subjecta* formet. Provectiorem ætatem iisdem adhuc vitiis deditam recordare. Luxum enormem & ita accipiendorum calculos supergressos dati illos, (ne dicamus, impensarum imposterum faciendarum) ut ad fraudes, vexatio-

vexationes, oppressiones & venale jus jam non tam prava hominum cupidine quam dura & præfenti necessitate coactis, recursus habendus sit. Nova profusionum ac prodigalitatibus genera indies excogitata & continuo aucta omnem medelæ spem evertent. Ita peracti priores anni quam jucundam, quietam & tolerabilem afferant senectutem, qualem sanitatis conditionem lauta vita & ferculis onustæ quotidie mensæ, quantumque inauditorum antea morborum numerum, haud magno negotio perspicitur; Senectam denique optimi vigoris locum, apud vix virilem adhuc ætatem attingentes, occupantem.

APHOR. XXIV.

Conversandi modus & Publica Spectacula omnium evidentissima erunt de cujusvis seculi gustu testimonia. Nuper elapsi de Barbarie homines, illo satis adhuc incondito, his pariter incultis & siccis trahuntur. Ad fastigium perductis utrisque, civilitas & urbanitas in vanas formulas & gestus nimium artificiose expolitos abeunt. Comœdiæ aliique ludi similiter valde cærimonioso apparatu ac subtilitate placent. Ruinam minari machinam & venturam Barbariem signum est, ubi nobilis libertatis nomine specieque, pristina justo molestior honestatis affectatio ad licentiam & impudicos usus vergere cernitur, Spectacula omni ingenio & industria ad vitiorum incitamenta com-

ponuntur, & provectæ ætatis viri, quos gravitas deceret, pro optima Cultioris Litteraturæ (Belles Lettres, Vitterlek) parte habere incipiunt, quod olim perditæ spei juveni tantum congruere judicatum fuerat. Particularior in singulis vitæ generibus atque munerum publicorum ordinibus abusus promovendi modus, cuivis suæ patriæ constitutioni aptissimus notus est, & ex simul sumtis qui pluribus in locis obtinent, de Europa in univ-ersum facile formantur regulæ: Odiosa heic foret specialior disquisitio, quam ideo jure omittimus. Intelligitur vero ex iis quæ jam adducta sunt omnibus, egregium etiam esse Barbariei promovendæ medium, si in Oeconomico quo vivimus seculo, circa quæstionem de utilitate scientiarum, omnes illæ posthabeantur, quæ immediatum cum rebus manuariis vel aliis Publicæ Privatæque Oeconomix partibus nexum non habent, licet ceteroquin, inclinationes atque indolem populorum & nationum characteres formare aptæ, genuinum bene institutæ Reipublicæ fundamentum ac basin constituent. (Noy. L. Sv. cit. N:o 89.) Nihil certe est aliquid tam erroneum vel esse potest, illa quam vulgo faciunt inter Politicam & Justi Honestique regulas differentia, dum eo usque eandem extendunt, quasi unum cum altero consistere nequeat. Quo autem maturius rem expendere velimus, eo clarius patebit, veram Politicam fundari debere in morum integritate, quæ sola majus vegetigal reipublicæ affert, quam Fabricarum aliorumque

rumque institutorum ad miliones usque auri ton-
narum summas reditus. Scilicet Theologicam tan-
tummodo putant illam thesin, quod benedictio di-
vina domum ædificet, cum tamen simul vere Oe-
conomica ac Politica sit, idque necessitate Physica
& immutabili, prout institutis calculis ad oculum
demonstrari potest. Nobis hoc singulare aliquid
videtur, quod in veterum scriptis luxu & mollitie
eversas respublicas & deletos exercitus videamus.
Nunc vero tanta in scientifice excultas omnes mi-
nutias confidentia est, ut solam artem, puellarum
ex Gynæceo nuperrime protractarum manipulo A-
lexandri Phalangem evertendi, sufficere multi pu-
tent, luxusque insignem in Civitate utilitatem es-
se, atque mollitiem cultioris nationis characterem
importare credant.

APHOR. XXV.

Sicut omni in re peragenda noxia esse solet se-
curitas, & nimia in se ipsum fiducia, ita &
illud aliquid Barbariei emolumentum forte suppe-
ditaret, si homines bene firmiter persuadantur, se-
culum in quo vivunt quam maxime cultum &
politum esse, quodque omnes scientias & artes vi-
tæ mortalium rite formandæ necessarias vel utiles,
aliaque quævis instituta huc facientia, ad summum
qui possibilis est fastigii gradum jam perduxerit, i-
ta ut media adventantibus tenebris dispellendis i-
donea negligantur. In his vero mediis multum
dubita-

dubitamus, an ullum unquam sit ita genuinum, quam sollicita de morum integritate restauranda cura, utpote quorum corruptionem mali luxu & licentia in scientias illati radicem & fundamentum credimus. Emendationem rursus morum in quavis republica Principum & Optimatum exempla præ aliis mediis (pene dixerimus sola) formare valent, ad quæ totum reliquum orbem componi proverbio dicitur. Unde & ratio est, quod in patria nostra plurima vel incognita vel saltim rariora adhuc sint vitia, quibus frequentius & communiter premi alias Civitates atque regiones, scriptorum quærela edocemur. Inestimabile certe bonum! idque grata mente AUGUSTIS, quorum sapiens regimen veneramur, tribuendum, & sine quorum exemplo omnes vitiis & luxui restringendis Ordonantiæ atque Ediçta in Aula primum, & postea per provincias nullius usus forent, cum ceteroquin in vetita majori tantum industria ferremur.

APHOR. XXVI.

CETERUM illam, quam modo tetigimus, valde favorabilem de seculi alicujus cultura opinionem multi sunt, qui vel exinde affatim demonstrari posse ducant, si nullum pene sit vitæ, inprimis vero publicorum munerum genus, ubi a candidatis & juventute ad id destinata multifaria variarum rerum cognitio nec mediocres in scientiis progres-

progressus exigantur. Aliorum sententia inter id
 quod Edictis exigeretur, & id quod præpositi ne-
 gotio examinatores, omni licet opera pro virili
 allaborantes, obtinere revera possent, insignis dif-
 ferentia statuitur; cum pigri & negligentes, si
 pro unico, ad quod antea obligati fuerant, dis-
 cendi objecto, vel mille nova accipiant, eo nihil
 tamen diligentiores vel eruditiores fierent, sed to-
 ta utilitas in eo resideret, ut exiguum quod utili
 labori impendunt sedulitatis granulum, antea inte-
 grum uni negotio datum, nunc inter plura in mi-
 nutias exilissimas distribuerent, indeque tanto plus
 solummodo confusionis & obscuritatis in ideas ir-
 reperet. Sufficere contendunt auctores theseos, ut
 occasio diligentibus plura addiscendi commoda
 præbeatur, tardiores vero potius methodo opifi-
 cum aliquid practice edoceantur, quam ut scienti-
 ficæ cognitionis formandæ specie multis imbuti
 notionibus, sed iis omnibus confusis tantum, ad-
 huc hebetiores reddantur; Cujus rei & id sit da-
 mnnum, quod titulo, tamen virorum scientiis ini-
 tiatorum semel nacti, eo audacius cum solidioris
 cognitionis illis, qui bene tempus collocaverant,
 pari passu ambulare postularent. Aliud non le-
 vius malum oriretur ex præjudicio, quod apud il-
 literatos hoc produceret, qui ex talium exemplis
 inferrent, theoriæ nullum esse usum, idque inpri-
 mis tum firmiter ipsis persuasum fieret, cum quos-
 dam qui practica methodo habitum non exiguum
 rebus expediendis sibi compararunt, multis para-
 langis

fangis præstare viderent idiotis theoreticis, licet hi, ubi bonam cognitionem theoreticam practicæ illorum connectere voluissent, illico & eisdem superassent. Sane fatemur haud raro nos audivisse asinos, dum muneribus gerendis impares se fentirent, multum deplorantes male collocatum Academicis ut ajunt pedantismis tempus, quod melius negotiis (affaires inquit) impendissent, sicque propria culpa contractam ignorantiam innocentibus Musis tribuentes. Leges nostræ patriæ, pergunt dictæ sententiæ defensores, alicubi ostendunt, non omnia posse omnes, dum ex. gr. a Judice Territoriali non exigunt, ut Geometriam calleat, sed ubi opus est, constitutis ad hoc Geometris uti permittunt. Interea tamen haud parum facilitatis inde judici ad intelligendam rem redundat, si & ipse ageometretos non sit, quanquam omnibus, qui circa dirimendas agrarias lites versantur, Geometriam addiscendi necessitatem imponere velle, incongruum foret. Nulla fere scientia est, quæ insigniter agricolæ non prodesset, sed hinc non sequitur omnes agricolas culmina Parnassi lustravisse oportere. Hoc loco nominandi videntur, qui Oeconomix promovendæ, quo seculum nostrum vexatur, furore sacro (quique eo quo olim in expeditiones cruciatis Christiani ferebantur haud cedit) agitati, bona equidem intentione optant, ut Verbi Divini Ministris imponeretur obligatio Medicinam, Historiam Naturalem & nescio quid non Theologicis studiis magis necessarium

rium bene discendi. Concluditur magnum Barbariei promovendæ auxiliium fore ex confusis & superficiariis ad munera administranda formatis ingeniis, si omnia ab omnibus exigendi mos ubique invaleat, quem remediis ipsis morbis gravioribus adnumeramus, vel saltem idem esse putamus, ac si ad sanandum vulnus digiti cultro læsi, emplastrum pedibus applicetur.

APHOR. XXVII.

Non autem putandum est, nos statuere Barbariem, si etiam omnia quæ hucusque enumeravimus signa, in cultiori orbe revera invenirentur, confestim & immediate nostro ævo ingruere debere, cum eam variæ causæ in medio cursu non modo profus sistere, ut antea (Aph. V.) dictum, sed & retardare saltem atque ad tempus inhibere, sicut de Christiana religione (Aph. VII.) observavimus, queant. Lentius igitur progredi malum potest, idque diverso alio atque alio tempore celeritatis gradu, nec sine interrupta sapissime serie. Prima universalis in terris Barbariei regnandi periodus ad proxima ante Diluvium secula refertur, quibus ad eximium per totum orbem fastigium perversitatem pervenisse, Sacræ Litteræ docent. Habuerat autem longum antea intervallum, quo enasceretur, incrementa caperet ac maturesceret, a lapsu Adami usque ad aquarum inundationem. In moribus hæc equidem

G

Barba-

Barbaries maxime residebat, licet nec scientiæ forte magni fuerint pretii. Non præcise quasi inferior earum cultura fuisset ac temporibus præcedentibus, sed quia depravatæ & in horrendum modum fœdatæ, ad similitudinem qui tum vigere morum, non esse haud potuere. Tales quoque loquimur scientias, quales nimirum tum fuerunt, quas nostro ævo eundem meritorum titulum, neutiquam cavebimus. Post Diluvium una post alteram gens successive duro Barbariei jugo denovo subjecta est; universali vero orbis dominio hanc potitam, ante illam quam Aph. VII. nominavimus ætatem, certo statuere non audemus, licet huc illucque temporis tamen spatium aliquid non multum sane ab isto gradu distare vix negandum sit. Quoad illam igitur partem, quæ cognitionem spectat, totum a diluvio ad Romanos Imperatores tempus consideramus fere ut periodum renascentium litterarum, a Barbarie usque ad summam earundem perfectionem. Subsequenti ævo plus decrementi passas, quam incrementa cepisse, asseri potest. Summam vero quam diximus perfectionem minime eam intelligi volumus, quam maximam unquam assequi possint, sed quam actu eo usque apud homines affecta fuerant; nisi rem intelligere velis consideratione habita quarundam disciplinarum, quas ratio sibi relicta pure tractare vix valet. Certe nullibi adhuc ubi revelatio defuit, Theologiam Naturalem, Philosophiam Morum, Metaphysicam, Psychologiam, Astronomiam, & forte

& forte Physicam, aliasque quasdam videmus ita ingenue excultas fuisse, ut varia gentilium Theogonia, divinandi artes, chaotica systemata, fatalismus, ac similia ex communibus placitis & educationis indole redundantia noxia præjudicia magis minusve easdem pro diverso cujusvis gustu captuque ingressa non sint; ita tamen, ut an impossibile prorsus sit, quin aliter hoc existere queat, jam non dijudicemus: Sufficiat valde difficile esse, atque hucusque aliter actu extitisse, non potuisse adhuc probari. Verbi ergo Divini sanctissimi & nunquam satis æstimandi præter patefactam salutis oeconomiam & id donum est, quod tales nugas expresse damnando, cogitationes hominum prorsus ab iisdem avertat, nec sinat in controversiam vocare, an sint veræ vel minus, adeoque tempus melius collocandum his impendere prohibeat, (Aphor. IX. & XI.). Quare hostes religionis, dum sua sponte revelationem rejicerent, infelices hujusmodi tenebras, si etiam poenæ nomine justissimum Numen nihil mali generi mortalium infligere vellet, ipsi tamen Physica necessitate nobis contrahere allaborarent.

APHOR. XXVIII.

TAmetsi quo magnam partem per ipsas Litteras ad Litterarum everisionem, ut in præcedentibus diximus progrediantur Litterati, quo sibi nomine mox omnes qui Domini titulo appellari

contendunt plus minusve placebunt, id tamen non impedit, quin illiterati, & inferior vulgus ad superstitionem semper proclivis, antiquum illud suum & deamatum principium retineant. Penes plebem enim superstitio utique cum religionis, sub specie invectivarum in Ordinem Ecclesiasticum vel certa quaedam alia statuta ad exteriora pertinentia, apud melioris fortis illos contemptu, consistere potest, inprimis ubi hi propriæ utilitatis ergo sollicite rem adjuvaverint. Ista vero utilitas si etiam in ulla re alia sese non exfereret, multis vel in eo satis magna esse censeretur, quod tum facilius se a plebe distingvere possent, cujus prærogativæ admirandum ipsis pretium statuitur. Sed & dubitari nequit vulgum, cujus potiores imitandi pruritus non minor est, quam horum illum superandi sive vitiis sive virtutibus certandum sit cupido, in multis se ad datum sibi exemplum conformaturum, ita ut morum saltem licentiam ac Disciplinæ Ecclesiasticæ contemptum addiscat; luxum item aliaque vitia, subtiliori licet specie in crassiorem indolem immutata. Diversa igitur via ad eandem utrumque genus metam pervenire potest, qui ultimo aliud quam Barbaries atque utilium disciplinarum & culturæ exilium non erit. Per amissas vero Litteras necessarium equidem non est, ut intelligatur omnino non dari in orbe aliquam amplius earum cognitionem, sed ut Aph. XVI. rem declaravimus, ex pluralitate æstimandum est, atque ratione ad maximam hominum partem

partem habita deperditi esse thesauri dici possunt; non obstante etiam magno Bibliothecarum numero, quibus si nulli vel paucissimi utantur, scientiæ in libris tantum inclusæ manebunt, in apricum progredi non ausæ. Certe sub illo quod seculo X. floruit Barbariei dominio aliquo modo ita fuisse, qui multa nos antiquorum inventionibus ex manuscriptis eorum erutis debere perpenderit, facile concedet. Neque hoc solum in casu pro deperditis habendas thesauris Litteras putamus, sed & quod Aph. XXII. monuimus, si perverse Bibliothecis utamur, vel scientiæ, prout sæpius dictum, ita deformatur ac male applicentur, ut Theologiam vel Morum Doctrinam corrumpant. Religionis depravationi, quæ primis post natum Christum seculis incepit Philosophiam, & quidem cum primis Platoniam, plurimum momenti attulisse, scriptorum consensus est. Ingenia Mathematica quæ Mechanicæ aliisque similibus facta erant, Cosmogonias & varia ejusdem generis commenta effinxere. Videntur autem quibusdam hujusmodi ingenia, illa esse, quæ sicut dum intra suos se limites continent, maximam generi hominum utilitatem conciliare valent, ita nullibi minoris sunt usus, quin potius noxia, quam ubi ad Pneumatica se convertunt. Corporeis boni viri, ajunt, ideis imbuti, has spiritibus etiam tribuere audent, acute equidem initio distingvenda distingvere videri cupientes, sed tamdiu tamen subtilitatibus sibi placentes in iisque delectati & huc il-

Itaque vagabundi oberrantes, usque dum in crassitates (venia sit verbo) imprudenter incidant, atque in Materialismo vel directo vel indirecto acquiescant; inprimis vero discipuli, ut omni in re mala ita hic quoque, magistros ut plurimum superant. Talis de Leibnitii atque Wolfii Philosophia opinio est. Neque solum Continuum Mathematicum, pergunt, male subinde referrri ad Spirituum Doctrinam experimur, sed & id magis adhuc mirandum, quod Discretam quoque & nescio quam numerorum vim sint qui venditent, ut olim fecisse Pythagoram constat. Nostro tempore Diluvium Universale innumeris fabricandis hypothesebus ansam præbuit. Wistonianorum, Woodvartianorum, aliorumque similium in vario genere systematum fœcunda secula sunt. Si jam Theologi, in quibus dominantis Philosophiæ aliquid Cœlestibus veritatibus admiscendi inigne studium omni ævo observatum est, vel per imprudentiam vel eruditionis laudem captandi pruritu, alia atque alia horum dogmata avide assumere incipiant, faustum id omen adventantis Barbariei erit!

APHOR. XXIX.

COLOphonem addidisse magno huic negotio olim gentium Barbaricarum incursiones, annalibus edocemur. Qui adhuc longius progredi volunt, & conjecturis atque hypothesebus multum delectantur, simile quid ratione nostri itidem temporis

poris nobis non impredientibus fingant. Innumeros in tribus præter Europam magnis orbis partibus hujusmodi populos reperiri notum, quibus ad debellandas cultiores nationes satis virium dare posse harum mollitiem, in luxum voluptatesque immerfarum, mente concipiant. Ex viris barbaris, quam fœminis omni scientiarum genere instructis facilius formari exercitum, multorum opinio est; inprimis si his ars militaris in libris tantum inclusa maneret, vel bella (quæ quantumcunque molles homines redantur, nunquam tamen cessabunt) in se invicem tantum gesserint, adeo ut inde reportata fortitudinis laus non mulieris contra virum, sed mulieris in mulierem grassatæ ostentatio solummodo sit. Illustrationem ex actis prisca ævi mutuentur. Romanos illas quæ ipsis exitium attulere gentes, infinitis fere parasangis rei militaris peritia equidem superasse, sed mutuis discordiis & effœminatis suis moribus plus quam horum armis esse deletos reputent. Initio acceptas clades Barbaros non deteruisse sed magis irritasse, prædæ avidos fecisse & sensim in bellandi arte exercuisse recordentur; unum denique populum alterius damnis sapientiorum redditum, hocce vix remoto novo ac periculofiori machinam sponte indies ruentem impetu petiisse. DEI hominis in brutum deformati vindictam molientis opus, quæcunque futura sit, Barbaries est. Talem vero mortalium statum præcedere debere cum supponamus, huic Summo Universi Moderatori quam facile non erit, pares post-
hac

hæc excitare, ac quas olim fecit, nationum motus & migrationes? Turcæ exemplo protrahantur, qui saltim respectu Europæorum Tacticæ Fortificationumque, & quibus de cetero gloriamur, valde rudes sunt, & tamen furioso sæpe impetu horum omnes calculos eludunt; semel etiam damnum passi, post callidiores fiunt. Intestinas Christianis discordias non deesse, magis quam vel Romanis, quotidie videmus, atque æquilibrîi conservandi plus inter se mutuo, quam ratione Barbarorum, sollicitos fore historiæ non reddunt improbable. Infirmiores civitates primum subactæ, & exercitationem feris populis & insigne potentiæ incrementum darent, ut ad majores impostero res præstandas idonei evaderent. Etiam id fieri posset, ut Europæorum aliqua colonia vel transfugæ malevoli citra propriam eorum curam omnem ad Barbaros culturam aut bellicam scientiam transferrent. Inter ipsos item Christianos ambitiosus Princeps existere, qui secunda fortuna juvatus universale aliquid & diutissimum bellum turbasque cæteras Musis inimicas excitet. Verbo: vario modo varii oriri possunt turbulenti populorum motus, qui incendiis atque vastationibus Litterarum sedes & culturæ adminicula evertant, eodem effectu ac olim circa Romani imperii destructionem. Sed prout modo innuimus ad conjecturas solum hæc referuntur, nec præter meram possibilitatem iis aliquid vindicare animus est. Prout neque sic jam explicatæ universæ Barbariei hypotheses

theos existentiam, ne probabilitatem quidem, defendendam assumimus, possibilitate rei interna secundum quod initio declaravimus contenti. Id sane extra dubium est, si cætera omnia quæ in præcedentibus exposuimus actu adsint, nihil impedire, quin Barbaries orbem involvisse dicatur, etiam deficientibus illis quas hoc Aphorismo tetigimus violentioribus turbis.

APHOR. XXX.

AD mentem nostram melius explicandam comparatione rem illustrare conabimur, inter universonum genus hominum & certam aliquam civitatem instituta. Ubi ex terris desertis atque rudium hominum turba, adhibita cultura fertiles regiones & bene ordinata respublica efficitur, cumque omnium trium naturæ regnorum cruda, ut loquimur, producta arte ad multo majus pretium redacta abundantiam & opes attulerint, id plerumque florentis Civitatis loco exitium versus ruentis compagis signum est. Pariter optimum Litterarum florem adventantis Barbariei omen fuisse, integrasque Civitates & regna, morum depravationi per accidens auxiliatum, evertere potuisse, aliquoties exempla subministrant Historiæ. Utrobique malum corruptæ nostræ indolis effectus est. Quo fit, ut licet Civitas tum demum florere censenda esset, cum divitiis abundat, luxu tamen indivulso copiæ comite confestim enato, quæ usui
H
variis-

variisque necessitatibus civium & totius reipublicæ reservanda erant, in nullius pretii, immo noxias corporis animique sanitati, res profundantur; licet mundus tum demum cultus & politi homines dicendi essent, cum scientiarum artiumque cultura adest, ista omnia tamen huic eidem luxui tantum, dolis varioque fastus & aliorum abusu generi inservire incipientia, Barbariem producant. Atque ita mediolorum collectores, cum jam fini intento propinqui esse cœperint, eo majori dolore dulci & optato scopo frustrantur, malitia & perversitate nostra iis quæ ad feliciorum reddendum statum nostrum idonea essent ad contraria profus usa, tantique per plura secula laboris fructum destruyente.

Omnibus hominibus commode vivendi ac detescendi cupidinem inesse videmus. Illis quos avaros dicimus exceptis, nemo tamdiu exspectat, usque dum summum qui possibilis est auri acervum sibi comparaverit, sed jam eodem tempore, quo opes varia ratione congerit, partem etiam earundem ad bene lauteque vivendum destinat eaque utitur. Ex bonis igitur ejus residuis tantum, & quæ factis impensis supersunt, divitiæ ejus æstimandæ sunt. Quo minores impensæ sunt, eo minori tempore, certis positis redditibus, dives evadit, omnium citissime id futurus, si possibile esset, ut nullas profus facere opus sit. Præter ordinarias has impensas retardare illum detescendi terminum

num alia etiam impedimenta, male subducti cal-
culi, minus desiderio respondentem circumstantiam
& infortunia varia possunt. Denique non solum
initio, sed & magna jam comparata rerum copia,
vel adversa fortuna, vel propria hominis culpa,
sive prodigalitas sit, sive simile quidpiam, breviori
majorique temporis intervallo funditus omnes e-
vertuntur spes. Ut cum privato hoc homine, ita
& cum certa aliqua civitate, & cum universo ge-
nere humano ut cum hac civitate res se habet.
Comparamus nimirum divitiis artium littera-
rumque culturam, ut medium quo felicitas nostra
obtinere potest. Huic adversantur ignorantia, ab-
usus & vitia, quorum gradus eximius Barbaries
est; Barbariei vero dominium felicitatis optatae
spem extingvit. Cetera facile intelliguntur, & be-
ne intellecta optime illustrant omnia, quae in praecedentibus adducta sunt. Patet ratio, cur Aph.
III. nullum tempus prorsus a Barbarie fuisse libe-
rum dixerimus, ut videlicet nec certo determinari
potest, quando civitas aliqua vel homo privatus a
luxu immunes fuerint, nullis aliis factis impensis,
quam quae necessariae fuere. Sed & diversae diver-
sis temporibus circumstantiae non eandem faciunt
luxus definiendi notam characteristicam; quod
apud nos ex. gr. GUSTAVI I:mi Gloriosissimae
memoriae Regis tempore regium splendorem im-
portabat, nunc mediocri hominis quotidianum ap-
paratum constituyente, & vix in infima plebe pro-
luxu habito. Sic & cum Barbarie est, cujus nec

terminus a quo certus indicari potest, nec ad quem; idque sive fastigii gradum sive ætatem respicias. Nam & tempus quo Barbaries esse desiit ac Litteræ reviviscere cœpere, cum eo quo nova tenebris rursus introducendis molimina diabolus corrupta nostra natura adjutus excogitavit, confusum est, & ægre determinatur, in quam fœdis-
simorum criminum specie hominum rationis pariter ac revelationis omnia dictamina aspernantium malitia acquiescere posset. Modus ad Barbariem perveniendi diversus, solus gradus ejus diversos non reddit. Nos certe nescimus, utrum profanæ prisca ævi hypocrisis, an vero impudentissimis & horrendis ejus quem in hisce descripsimus blasphemias palma impietatis adjudicanda sit; quamquam in foro humano ut plurimum magis invidiosum prius genus esse sciamus, cum præter peccata aut vitia nobis cum hypocrita communia majoris nihilominus probitatis encomii affectatio, insigniter animum nostrum natura ambiciosum exasperare soleat.

In comparatione nostra totius humani generis & Civitatis alicujus, gentium Barbararum incursions probantibus porro & cultior noster orbis ad optimates & potentes reipublicæ referri poterit, qui cum majori cognitione instructi per clientes & subditos suos, adhibitis artis adminiculis, rerum quarum fatis mediocre alias prætium est
multo

multo majorem efficere valorem queant, magnis sibi factis redditibus, inferiorem & rudiorum vulgum, quod heic incultæ illæ nationes sint, non solum magnificentia ac splendore longe post se relinquunt, sed & vario modo, propriis bonis luxu ac prodigalitate consumtis, aut etiam avaritiæ causa, opprimunt & vexant. Hinc populi quærelæ, hinc plebis rebelliones, i. e. gentium Barbararum, quarum insignis pars Europæorum jugo eoque immani & durissimo premitur, innumeri exercitus; bella, vastationes & exules Litteræ. Intestinis turbis ac tumultibus vel boni cives tranquillitatis restauratores & pacis arbitri succedunt, vel externus hostis civitatem aggreditur, subjugat aut destruit. In magna totius orbis republica illud fit, si tenebræ rursus dispelli & denuo renasci Litteræ incipiant, cujusmodi Barbariei & culturæ invicem successio tandiu durabit, quamdiu persistere mundum DEUS patitur. In posteriori casu idem ille Optimus universi Conditor, cujus ceteroquin misericordia, ubi poenitentia & emendatio interveniunt, justitiæ prævalet, hostis induere indolem cogetur, & Consummationis Seculi tempus accelerare. Sed & adhuc aliud sibi his malis reservare medelæ genus infinita Sapiencia poterit,

quod ratio nostra assequi nequeat, utpote cujus limitatas vires cum in omnibus fere negotiis agnoscere doceamur, tum in potissimis difficultatibus referendum experimur distinctas ideas habere nexus, qui intercedit inter Divinæ Providentiæ directionem rerum & causas secundas.

SOLI DEO GLORIA.

